

ptione vernacula constaret. Non est quod dicam de literis ب, ج, م, aliisque, quarum transcriptio nihil habet dubitationis. Ceteras autem sic reddidi:

ا hamzatum omisi; quiescens indicavi lineola productionis, literae a imposita: ā.

ث th. ث th. ج dj. ج tsch. ح h. خ ch. ذ δ, ز z. ژ zj\*). س s minusculum. ش sch. ص f majusculum, et ubi in nominibus propriis primum locum tenet: Ss. ص dh. ط t. ظ zh. ع indicavi hoc signo: ʿ. غ gh. ق q. ك k. گ persicum, g\*\*). گ turcicum (fāghir - nūn) ñ. و w, et ubi in dhamma quiescit: ū. ی j, et ubi in kesra quiescit: ī. ی y.

Monendus est praeterea lector, tth valere duplex ت, ddj duplex ج, 'hh duplex ح, ddh duplex ض, zzh duplex ظ. Item, typothetam non raro pro 'ā, 'ī, ū (عَا, اِ, اُ) posuisse ā, ī, ū.

Scio equidem, hanc transcribendi rationem in quibusdam literis a vulgari Turcarum et Persarum pronuntiatione recedere; veluti quod ego ad normam linguae arabicae scripsi *Fudhūlī*, ab illis pronuntiatur *Fuzūlī*; sed prima lex erat, ut jam dixi, scriptionis constantia, et deinde, quoniam inter duos sonos optio data erat, primitivo et recto uti malui quam derivato et inflexo. Eos autem qui in talibus sunt delicatiores, rogo, ut eam literam, quam ex mea transcriptione tutius quam ex sua in nomine arabico, persico vel turcico, esse intelligent, suo sibi modo efferant neve mihi ob eam rem dicam impingant. Idem eos rogatos volo de vocalibus. Ubi a scripsi, quod illi ut e efferunt, faciant quaeso ut lubet, et sic in ceteris: nihil mihi poterit gratius esse. Ubi autem in eodem nomine scribendo mihi ipsi non constiti, id quod aliquoties factum esse scio, me, ut in re leviori, lectorum veniam impetraturum esse confido\*\*\*).

Jam, quod ad ordinem nominum in indicibus attinet, primum in animo erat, indices dare literis arabicis expressos, ut, si quid dubii e scriptione nominum latina resideret, id literis nativis omne tolleretur. Sed hoc consilium non unam ob causam omittendum fuit. Habebam tamen jam omnia arabice perscripta: quae denuo resolvere et in ordinem latinum redigere, laboris fuisset plurimi, et, praesertim his temporis angustiis, plane improbi. Igitur ea latine rescripsi, ceterum ordinem pristinum servavi: quem nemini, dummodo alphabetum arabicum ejusque rationem teneat, offensionem fore spero. — Saepē, commoditati lectorum consulturus, eundem virum bis terque posui, ut Avicennam et

\*) Ut برة زان urbs in Cod. 59: *Berezjān*.

\*\*) Etiam ante e et i, ubi igitur constanter pronuntiandum ut g saxonium in *gehen*, *Gift*.

\*\*\*) Neque id nunc placet, quod articulum arabicum ante literas solares dedi ut effertur, non ut scribitur. Sed sero sententiam de hac re mutavi; itaque in indicibus quoque eam rationem, quae in toto libro obtinet, retinui.